



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Testimonium de eo Magistri Nouitiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

obedientiæ hæreret confixus. Diebus verò ^{Ritè præ-}
 aliquot cùm huic se Sacrificio offerendo di- ^{paratus vo-}
 ligenter præparasset, VII. Kalendas Octobris ^{ta nuncu-}
 anno M. DC. XVIII. Magistro Nouitiorum ^{pat.}
 P. Guilielmo Bauters manè sub Sacrum
 coram sanctissimo Eucharistiæ Sacramento
 vota sua nuncupauit, cælestique pòst pane est
 reffectus.

Enimuerò quàm arcta illi, extremo iam ^{Quanta}
 Tyrocinio, cum Deo intercesserit necessitu- ^{eius cum}
 do, vel eo constare potest, quòd nulla ei (ut ^{Deo con-}
 solet reliquis Nouitijs ante Votorum tem- ^{iunctio.}
 pus) facultas secedendi in exercitia spiritua-
 lia concessa sit. Sed clariùs longè conceptam
 de eo sanctitatis opinionem prædictus Pater
 expressit ijs litteris, quas ad me dedit, quan-
 do iussu Præpositi Prouincialis Antonij
 Sucquetij, quæ huc vsque narrata sunt, è Bel-
 gio mihi in hæc verba fuère perscripta: *Hæc Testimoniũ*
ferè ea sunt, quæ Reu. vestra mitto, partem à me ^{de eo Ma-}
observata, partem ab alijs accepta. Addo, reli- ^{gistri No-}
gione adductus, cùm eum in petitione Socie- ^{uitiorum,}
tatis, adhuc secularem, iussu Superiorum ex-
aminarem, visum mihi primo aspectu animiq;
conceptu, Angelum me humano in corpore
videre; quem talem reuerà esse mox certius
deprehendi, ubi mentem eius penitus penetra-
ui. Erat enim summa eius innocentia, modestia
singularis, rara in agendo suauitas, & quod

caput est, non humana, sed planè celestis. Superiorum erat obseruantissimus, constantissimus rerum semel susceptarum, orationi deditissimus, in quâ sæpè præclaris à Deo luminibus fuit cumulatus, neque aliud quàm Dei gloriam spirabat. Ita ex animi sententiâ testor. Plura longè quàm dicto testimonio attulerat, deinde idem eius Confessarius Instructorque Tyronum affirmat alteris litteris, quas postea ad me scripsit quàm ipse primam hancce partem legerat, quæ à me maioris fidei conciliandæ causâ ad Patrem Prouincialem missa fuerat, vt eâ cum Patribus isthic communicatâ, temporum rerumque fierem certior, magis que e sensu scriberem Belgarum, quibuscum quæ scripsi (vti contenderam) communicata sunt. Atque vnus ille fuit qui in hunc modum scripsit, vt eius ex litteris intelligi haud obscure possit, quali existimatione prius etiam Ioannes fuerit, quàm veniret Romam. Igitur in hæc verba scribit: Reuerendus Pater Prouincialis superioribus diebus mecum communicauit primam partem vite fratris nostri Ioannis Berchmanni, beata memoria, quam Reu. vestra diligenter conscripsit, longè sanè iucundissima mihi accidit ea lectio; & haud scio an alia vlla gratior. Videbar enim mihi videre denuò sanctum illum nostrum Adolescentulum, inter centum amplius No-

uitios

Quâ fide
hæc vita
scripta.

Alterum
de Ioanne
testimoniū
eiusdem
Magistri
Nouitiorū.